



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Impius Infelix

Texier, Claude

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1695

Magnum ob causam illius, quod idem significat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45950)

mentum desumat è præstantia nominis ipsius. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit.*

Hebr. 1. 4.

Nomen verè magnum. 1. Ob magnitudinem id donantis. 2. Ob magnitudinem rei significatæ. 3. Ob magnitudinem effectuum, quos in se continet.

Quemadmodum perfectè hætenus *Nemo novit Filium, nisi Pater*, ut Christus ipsemet docuit; ita nullus capax extitit præter Patrem donandi nomen illi. Eandem igitur adhibere debuit fecunditatem sui intellectûs, quâ filium ab æternò progenuit, ad nomen hoc in tempore producendum. Ideo signanter in prædicatione sua Isaias exprimit: *Os Domini nominabit*, nomen hoc pronuntiabit, quod unicè capax, exponendi officiorum, dignitatum, & honorum celsitudinem à Deo intra manus Christi consignandam. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.*

Isa. 62. 2.

Ibidem.

Est insuper nomen in sua significatione transcendens omne nomen, cujus partem Deus hominibus tribuere voluit, eis communicando effluvium suæ autoritatis. Primò, quia fuit institutum ad significandum Regem, cui omnes ceteri monarchæ sunt subjecti, Principem, è cujus nutu cuncta dependent sceptræ, Judicem, cujus decreta universi submissò poplite reverentur mortales, summum Pontificem, cujus omnes reliqui simplices solum sunt Vicarii. *Exaltatum est Nomen ejus solius.* Secundò, nomen est super omne nomen, quia includit omnes perfectiones significatas per nomina essentialia, veluti, *Deus*; per Personalia, uti, *Verbum*; per relativa ad creaturas, sicut, *principium*. Præterea id exprimit altiorem terminum potentia Dei, excessum bonitatis Divinae, primum & magis

Psal. 148. 13.

magis præcipuum propositum ejus Sapientia. Ita ut si reliqua Divina nomina nobis repræsentent essentiam Dei necessariam & independentem, primam omnium essentialium scaturiginem; ad modum illius, quod Deus ore proprio Moyse exposuit: *Ego sum, qui sum.* Vel istius ^{Exod. 3. 14.} adeò apud Hebræos venerandi: *Jehova*: Si nobis indicent Deum operantem ad extra, ut *creator, omniscius, omnipotens, providus* &c. Hæc tamen omnia non plus nobis innuant, quàm operantem intra limites statûs naturæ: Sed Augustissimum *Jesu* nomen declarat Dei virtutem operativam in eminentiori statu gratiæ. Verbo, istud nobilissimas denotat operationes, opulentissimas communicationes, quas Deus extra se producere valet; quales sunt, communicatio hypostasis, & Personalitas Verbi factæ cum Humanitate Salvatoris, effusio vitæ spiritualis gratiæ fidelium animis, participatio gloriæ ac felicitatis æternæ mentibus Beatorum præstandæ.

Sæpius comprehendere nequivi, cur Isaias genealogiam Christi instituens tam prolixam titulorum congeriem in medium proferat, quibus illustrissimos hujus infantis Divinitus concessi natales adornet, & nullam præstantissimi faciat mentionem nominis: *Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* ^{Isai. 6. 9.} En quàm speciosa æquè ac vera nomina: Sed ô theodidacte Vates, ubi est nomen illud, quod super omne nomen? S. Bernardus opinatur, intentionem fuisse Isaiæ, hæc nominum multiplicitati differentiâ explicandi excellentias in nomine *Jesu* contentas, exprimentes omnes istos illustres titulos, officio Salvatoris annexos; quia si unquam certè *Admirabilis* suspici meretur

in unione ineffabili duarum naturarum, infinito à se spatio distantium, componentium unam, adorandam Jesu Personam. Meritò appellandus est *Consiliarius* Altissimi, in qualitate enim *Jesu* subit arcanum Dei consilium, ut inde hauriat notitiam negotiorum suorum prædestinatorum. Jure item vocatur *fortis*, quia ut Salvator mortem vicit, inferorum portas destruxit, peccati potentiam fregit, vires contrivit. *Pater futuri sæculi* appositè nominatur *Jesus*, ut talis quippe moriendo, ipse nos regeneravit in vitam immortalem. Bene tandem subscribitur titulus: *Princeps pacis*, siquidem *Jesus* est, qui pretioso suo sanguine pacificavit universa, pacem cælum inter & terram composuit. Quòd si ergo, ut videmus, omnes isti pretiosi tituli, de quibus mentionem agit *Isaias*, sint radii quidam coronantes Sacro-Sanctum *Jesu* nomen; concludamus cum Propheta *Jeremia*: *Domine magnus es tu, & magnum est nomen tuum.* *Magnum* in significatione Verbi, quod caro factum, unionis Divinæ cum natura humana; *magnum* in adimplentione salutis humani generis; *magnum* in exprimendis omnibus officiis, & honorificis dignitatibus Salvatoris; *magnum* denique in stupendis suis effectibus.

Jerem, 10, 6.

Hoc præclarum *Nomen*, encomium est *Hermetis* unius ex Apostolorum discipulis, *filius Dei magnum est, & immensum, totus ab eo sustentatur orbis.*

Vigebat quædam inter *Rabbinos* hæresis, sibi persuadentes, nihil impossibile esse illi qui ritè nôsset pronuntiare nomen tetragrammaton *Jehova*; *Moysen* de hoc secreto cælitus edoctum, inde tot victorias ex hostibus retulisse, quoties cum iis congressum tentasset. Sapientissimum item *Salomonem* evasisse, omniumque rerum
natu-

naturalium notitiam ex fonte, seu virtute nominis istius haussisse, tradunt. Sed Christianæ veritatis maxima est, quod si bene, ut oportet, sciamus uti Sacratissimo Jesu nomine, sumus experturi prodigiosos omnino effectus: *Santum & terribile nomen ejus.* Psal. 110. 9.

Est nomen hoc merum intellectui nostro lumen, ejus dissipans tenebras, cui ostendit etiam ornamenta gratiæ & sanctimoniam. Si nobis liceret penitus inspicere arcana sub tam specioso nomine recondita, detegerentur nobis inestimabiles thesauri Charitatis Dei erga homines infinitæ; objicerentur nobis grandia & admiranda Dei in nos decreta & gratiarum opes nobis à Deo præparatæ, dummodò eas in virtute ac nomine Jesu petamus. Idcirco consulit nobis antiquus ille Hesichius presbyter, ut cordi nostro lampadis instar id nomen affigamus: *Domum nostri cordis nomine Jesu, veluti lucidâ lampade exornemus.*

Idem nomen est quoddam balsamum & oleum effusum, quo voluntatis nostræ affectiones emolliuntur, suaves, flexibiles ad motum gratiæ redduntur, unde hauriunt virtutem invincibilem ad quascunque emergentes difficultates superandas: *Oleum effusum nomen tuum.* Cant. 1. 7.
Tunc, quando ineunda nobis pugna non tantum cum carne & sanguine, sed cum cunctis principatibus tenebrarum harum, notat S. Ambrosius, pretiosum istud oleum adhibeamus ad nos ipsos roborandos. Illo se inungebant olim invincibiles Athletæ, fortissimi, inquam, Martyres, antequàm descenderent in arenam luctaturi cum tortoribus: *Hoc unguento uncti sunt Martyres.*

Sacrum istius Nominis, inquit Sapiens Idiota, balsamum